

~~XXXVI.~~
389.

1669, 7

Auxiliis
Omnipotentis Salyatoris.
DISSERTATIONEM JURIDICAM.

DE

ADVOCATO.

Indultu ac Permissu Nobilissimi
JurisC. Ordinis.

PRÆSIDE

VIRO

Nobilissimo & Consultissimo

D_N. PAULO FRANCISCO ROMANO.

J. U. D. & Instit. PP. Celeberrimo,

FAUTORE AC PRÆCEPTORE SUO
HONORATISSIMO.

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQVIVITIONE
EXPONIT

AUTOR & DEFENSOR

ANDREAS OSWALDUS SCHELERUS.

Lipf. Misn.

D. X. NOVEMBER. A. R. S. MDCLXIX.

IN JCTORUM COLLEGIO.

H. L. Q. S.

LIPSIAE,

CHARACTERE SPÖRELIANO.

*H. Excellenti J. C. D.
Johanne Dornig*

L. 21



ADVOCATO

DE PAVIA

ADVERSUS


D. PAVIENSIS

DE PAVIA

DE PAVIA

Handwritten signature or text in cursive script.





Auxiliis Omnipotentis Sit Labor Meus.

THE S I.

Tàm apud scriptores Latinos quàm Jctos
variis modis dicitur Advocatus.



Dvocatus dicitur, quod advocetur, ut partibus
adsit, sic advoco sæpè apud Latinos Autores
pro Advocito sumitur, unde *Lucillius lib. 29.* A-
micos hodiè cum improbo Lucillio audivim9
advocitatos esse. Ut ita Advocatus nihil ali-
ud sit, quam qui in Consilium advocatur, ut
adsit partibus litigantibus. Quonquam enim
Plautus aliq9 pro teste rogato quandoq9 Advocati vocem ad-
hibuerunt, apud Jctos tamen ea significatio non usitata est,
Dicitur autem alio nomine quandoq9 Defensor *vid. Mynsing. in*
Inst. de satisd. s procur. sæpè patronus, interdum Orator s. prag-
maticus, inter quas tamen voces hæc differentia occurrit, quod
Advocatus is dicatur, qui Oratori in judicio suggerit, Cic. Lib 5.
d. Orat. Augusti demum Imp. temporibus unum cœpit esse
utriusq9 munus. Wesenb. in π. ad lib. 2. C. de adv. divers. jud. modo
etiã postulatores, Jcti Togati, Adiutores, & Procuratores, latè sc.
sumto hoc vocabulo. Quonquam hodie inter hæc duo officia
non semper interfit, sicut apparet ex O. P. J. tit. 3. Carpz. in proces.
T. 5. art. 5 n. 21. In Camera imperiali sæpè quoq9 Procuratores u-
na sunt Advocati, verum non vice versa Gail. observ. practic. lib. 1.
observ. 43. in fin. Aliter atq9 in suprema Curia Moguntina, & Ca-
mæra Braudenburgenfi recessum esse testantur ejus ordinatio-
nes.

A 2

THE

THES II.

Advocati (α) sunt, qui pro aliis (β) postulant (γ), hoc est, desideria aliorum in jure judiciove (δ) exponunt, aut aliorum desideriiis pro aliis contradicunt (ε) vel Causis agendis (ζ) quoquo studio operantur (η)

Ita Advocatos, definit *Schnobellius disp. 3. θ 1.* & rectè quidem, quia hæc descriptio omnia Advocati requisita continet.

(α) Præcipua v. divisio Advocatorum hæc est, quod alii sint publici, alii privati, publici alias Advocatorum fisci nomen sortiuntur, ac de iis agitur *t. r. C. de adv. fisci*, dicuntur publici, quia Causas publicas ad principem spectantes agunt, privati iterum sunt vel ordinarii, vel supernumerarii, *L. 13 C. d. adv. di v. judic.* Ordinarii sunt, qui ad speciale aliquod iudicium constituti sunt, *O. P. J. tit. 3. in pr.* sic quinquaginta olim constituti erant in Alexandria, qui soli in iudiciis perorabant. Quorum nomina matriculæ inscribebantur, pari modo & in Curia suprema Provinc. Lips. certus numerus tam Advocatorum quam Procuratorum reperitur, sicut etiã tres tantum in Consistorio Lips. Idem obtinet in Camera Elector. Brand. ubi nullus alius postulare coram supremo iudicio potest, nisi decreto supremi Præsidis & juramento præstito in ordinariorum numerum sit receptus. Supernumerariorum hodie ingens existit Caterva, & si eò indotos procuratores & rabulas qui promiscuè hodie in nonnullis iudiciis Advocatorum privilegiis gaudent, referre velis, innumerum fermè illorum numerum conficies.

(β) Rectè autem pro aliis in descriptione dicitur, qui enim in iudicio pro seipso postulat, advocatus minimè dicendus est, quanquam enim olim nemini alieno nomine agere licuit, postea tamen id immutatum est, uti uberius hæc deducuntur ab ipso imperatore *pr. J. de iis. per quos. ager. possumus.*

(γ) Postulationis vocabulum nonnunquam planè ad causas Criminales refertur, nonnunquam ad Civiles causas tantum, & tunc iterum vel latè, vel strictè accipitur. Isto modo omnem
pro-

procuratorem, defensorem & Curatorem sub se comprehendit, hoc vero ad solos Advocatos pertinet, in qua significatione etiam hoc loco spectatur, *Rosbach, prax. Civ. tit. de adv. 18. n. 2. in fin.*

(d) *Add. L. 4 §. 8. ff. d. damn. inf. ubi Ulpianus loquitur.* Eum sc. propriè postulare, qui pro Tribunali aliquid petit, non alibi, qui itaq; apud judicem pro Tribunali sedentem non experitur, de illo nequiquam vocabulû hoc intelligi debet. Quid autem propriè illa verba jure judiciove important, discrimen sc. olim inter procuratores & judices, & quale eorum fuerit officinm *Consul. D. Beierus in not. ad disp. Schnob. 3. lib. 3. ff. T. 1. B. Habnius dissert. 6. n. 2. ad π. Wesenb.*

(e) *L. 1. §. 2. ff. d. postul.* unde apparet, quod tam actio quam exceptio, postulationis nomine contineantur, qui enim contradicit vel excipit, aliquid postulat, quia in effectu se petit ab adversarii postulatione absolvi *Wesenb. in π. ad lib. 3. ff. tit. 1. n. 2. in fin.*

(?) Sc. eas ritè ac legitimè deducendo ac proponendo *L. II. §. 1. C. de advoc. diversor. jud. facti n.* speciem cum omnibus circumstantiis proponant. eoque imprimis intendant, ut actionem ritè instituant, cogitentq; quænam actionis requisita observanda sint, & quomodo verificari deinceps possint. Utinam a. inquit *Cujacius in parall. ad Cap. pastor. X. d. jud.* illud ipsum servaretur, sæpè numero enim ad Causam perorandam accedunt, factio nunquam benè perspecto et percepto, de quo *Ammianus Marcellinus lib. 30. scribit*, eos sub ore judicis inter ipsos conflictuum articulos tunc demum constitui. Oportet quoq; præterea ut legaliter & secundum præscriptum modum procedant, quorsum refero (1. ut in foro Saxonico jura partium ore tenus, non ex scriptis proponant. *Constit. Elector. 1. p. 5* quod æquè in Camera Elector. Brand. observari constat, (2. in frontispicio positionis præmittant Clientû præ & cognomina, siq; nobiles sint, familiæ domum *O. P. 7. tit. 7. in pr. B. Carpz. 13. T. 1. R. 5. n. 47.* quod & ipsum in Camera Electorali Brandenb. peculiari statuto sancitum reperitur (3. jura Clientum stantes proponant, *L. 6. §. fin. C. d. postul.* quod tamen usus fori Saxonici non generaliter servat, siquidem Advocatis Dd. aut Licent. titulo condecoratis

jus sedendi permittit, nonnunquam etiam alii exconces-
sione ipsius judicis illud jus nanciscuntur, utpotè quorum le-
gum experientia satis cognita ac perspecta habetur, aliter atq[ue]
in Cam. Elector. Brand. ubi omnes sive sint Licentiati, sive alii
[Dd. rarius ibi Advocatorum officio funguntur] stantes jura
Clientum proponere debent [4] d. J. S. si simul procuratores
sunt, sine mandato non compareant, Carpz. L. 3. T. I. R. 5. n. 15. &
seq. illudq[ue] in prima positione statim producant O. P. J. tit. 7. B.
Carpz. in P. tit. 5. art. 7. n. 22. & seq.

(1) L. 1. §. II. ff. d. exeraord. cogn. quibus verbis expressè
Advocatorum diligentia in peragendis Causis, fides, & solertia
requiritur. Quo pertinet [1] ut ex æquo adsint litigatoribus L.
pen. C. d. adv. div. jud. ratione etiam & non probris certent, Jure &
LL. Clientis causam tueantur, (2) ut adversario secreta seu me-
rita causæ minimè aperiant, aut cum eo colludant. O. C. p. T. 64.
(3) adversario nullum consilium præbeant, etenim minimè de-
cet in una instantia utriq[ue] parti patrocinari L. 1. ff. d. prævar. quod
in tantum verum est, ut nec unius partis juribus visis ac fundamē-
tis, adversæ parti patrocinari queant, etiam si prior Clientis operã
eius recusaverit, vel etiam promissum solarium ipsi præstare re-
nuerit, ita nec illud honestas admittit, pro una Causa consilium
conficere, ad adversarii causam defendendam ut prosiliat *Spec-
tie advoc.* §. 3. n. II. (4) non dolo & fraudibus vel convitiis u-
tantur L. 6. C. d. procur. nec LL. correctas sub pœna falsi allegent §.
3. C. d. confirm. C. Carpz. L. 3. Resp. 5. n. 42. idq[ue] tantum quod verum
justum necèssarium & utile est proponant. Huc pertinet quod
nec Clientem ad negandum instruant, aut ipsi aliquid expressè
contra acta negent. (5) In peragendis Causis sint vigilantissimi
& observantissimi, negligentia enim advocati nocet domino,
(6) Litès non protelent, *Specul.* §. 1. n. 15. (7) non instruant testes,
id *Specul.* §. ult. n. 13. & seq. (8) deniq[ue] amicabilem compositio-
nem inter litigantes suadeant potius, quam judicem accedant,
suosq[ue] Clientes serio adhortentur eius, quod in Palatio Medio-
lanensi penes gradus, per quos ascenditur, Lapide Marmoreo in-
culptū legitur. In causarū controversiis corporales inimicitiaz
ori-

oriuntur, fit amissio expensarum, labor animi exercetur, corpus quotidie defatigatur, multa & inhonesta crimina deinde sequuntur, bona & utilia opera postponuntur, & qui credunt sapere obtinere, succumbunt, & si obtinent, computatis laboribus & expensis acquirunt NIHIL. De reliquis, in quibus Advocatorum officium consistit, § 6. infra plenius videbimus.

THESIS III.

Advocatus quilibet esse potest, qui non prohibetur.

Cum Advocatorum hoc proprium esse antecedenti Thesidi dictum sit, postulare pro aliis in iudicio, consequens etiam erit, eum, qui postulare prohibetur, ab advocandi munere arceri, Alii autem Edicto Prætoris, alii Lege, alii Stis C. & Constitutionibus, alii denique ipsius iudicis sententia pro inhabilibus declarantur. Caspar Mantzius d. Adv. tit. 1. n. 4. Edicto Prætoris quilibet infamis Advocatus esse prohibetur, aut qui insigni turpitudine notatus est, L. 1. §. 6. ff. d. post. infamia enim sicut omnes à publico & honorifico munere, ita quoque ab advocandi functione excludit, Specul. de adv. §. 1. n. 10. (2) Advocati non possunt esse famini, utpote quæ nullius tam publici quam Civilis officii sunt capaces per L. 2. ff. d. R. 7. non quod iudicio careant, cum subtilioris ingenii multas extitisse ex historiis non uno exemplo probatum sit, neque ob eam rationem, quam tanquam ridiculam profert Cænatius Borellus, quamque allegat D. Struv. in S. 7. C. exer. 7. §. 14. ne, dum apud iudices postulant, ipsos muliebribus blanditiis corrumpant, sed ob pudorem sexus argto L. 1. §. 1. d. post. pudori enim sexus minimè congruit, officio virili fungi, quale est suscipere alienam defensionem. L. 18. C. de Procur. Idcirco in tantum verum est, ut nec pro liberis in iudicio experiri possint VVes. ad L. 3. ff. tit. 1. n. 4. lit. E. & quamvis Jure Civili pro se postulandi officio rectè fungantur L. 4. L. 9. C. d. Procur. cum suas ipsarum Causas exponere ipsis non sit indecorum, id tñ. Jure Saxon. immutatum est. O. P. I. tit. 8. in pr. Carpz. p. 1. Constit. 1. d. 30. & in Process. tit. 5. art. 3. n. 47. & seq. Constit. Elector. 15. p. 2. ita ut sine Guratore ad litem non adm

admittantur *Carpz. lib. 3. tit. 1. R. 13.* (3. Cæci *d. L. 1. S. 5. ff. d. post.* qui utroq; lumine orbati sunt, rationem addit *Ulpianus* quod insignia Magistratus videre non possint. An v. hæc ratio sufficiens sit, non iam inquiram. (4. Minores 17. annis, quia adhuc infirmum iudicium in iis, qui ad plenam pubertatem nondum pervenerunt, deprehenditur. Per minores a. 17. annis intelligimus eos, qui ut *Ulpianus loquitur. in L. 1. S. 3. d. post.* hoc spatium nondum impleverunt, *argto S. ult. J. ex quibus caus. manum.* non enim hic annus ceptus pro completo habendus est *S. 5. J. d. t.* Hisce (5. annumerantur surdi *d. L. 3. S. 1.* cum ad audiendam prætoris sententiam minus habiles censeantur, (6. Furiosi, utpote qui omni ratione & iudicio planè destituuntur, sunt deniq; (7. adhuc alii, quibus Prætoris Edicto hæc postulandi licentia non competit, sc. ii, qui Capitali Crimine damnati sunt, *L. 5. S. 6. ff. d. t.* Ex his vero quidam in totum, quidam saltem in tantum prohibentur, illuc pertinent minores, surdi, furiosiq; huc & reliqui. Lege excluduntur (1. servi quia nullam habent personam standi in iudicio *t. t. C. qui legit. person stand. non hab.* Nec obstat, quod servi Notarii & Medici esse possint, quorum officium quoq; publicum est, *Rsp. Advocatorum officium est cum dignitate coniunctum, L. in Comm. Serv. C. de Comm. serv. man.* unde Advocati Medicis pariter ac Notariis præferri meretur *D. Bechm. C. 3. n. 12. D. Schvev. p. 2. n. 5. d. privil. stud.* (2. Banniti *O. C. p. 2. tit. 8. S. 2.* (3. liberti sc. contra patronos *l. 2. C. de postul. &* (4. Vasalli contra Dominos suos postulare prohibentur, idq; propter reverentiam, quam Patronis & Dominis suis præstare debent *B. Hahn. ad Ves. ad lib. 3. ff. tit. 1. n. 5.* (5. excluduntur & ii, qui in eadem causâ iudices fuerunt, quia maximè inconveniens esset in eodem negotio simul esse iudicem, & Advocatum *per l. 6. C. de post. Robertus Maranta de O. J. p. 305. n. 42.* Sicuti è contra nec quis iudex esse potest in ea causa, in quâ antea advocatus fuit, quia videtur habere affectionem ad causam *Decius in Com ad ff. d. Jurid. omnium jud. l. Prætor. n. 4.* quod tamen olim non prohibitum fuisse, *Plinius lib. 2. Epist. testatur.* (6. qui uni parti in causâ præstitit patrocinium adversæ

versæ parti in executione patrocinari nequit. Rationem addit B. Carpz. lib. 3. tit. 4. resp. 3. n. 17. 18. 19. & seqq. Imò nec propter honestatem alteri parti in secunda instantiâ inservire licet ei, qui in prima instantia uni parti patrocinium præstitit. *Idem d. l. n. 21. & deniq; (7)* prohibetur Clericus, nisi miserabiles personas iuvet, & negotium Ecclesiasticum tractetur, aut coram iudice Ecclesiasticò sit agendum, cap. 2. X. de postul. c. 1. & ult.

SCro removentur ii, qui insigni sunt notati turpitudine, quales sunt, qui calumniæ damnati sunt publici iudicii l. 1. §. 2. ff. de post. rationem, cur hi tam Edicto Prætoris, quàm SCro simul Advocati esse prohibeantur, apposuit Ves. in π. ad lib 3. ff. tit. 1. n. 4. lit. B. Imò omnes ii, qui contra patriam suam litem defendendam susceperunt L. pen. in fin. ff. d. t. exemplo Advocatorum publicorum, quibus adversus Fiscum patrocinium præstare expressè est prohibitum l. 3. C. de Adv. Fisci. Advocati enim militibus æquiparantur, & ideò togatorum militum nomen gerunt. L. 14. C. de adv. div. jud. His autem contra patriam bellum moventibus non solum apud Romanos, sed etiam apud alias Gentes, pœnam exilii aut etiam graviolem fuisse statutam, non una testis est historia. Constitutionibus prohibentur Advocatorum officio fungi Hæretici, L. 8. C. de postul. quæ lex ampliatur, ut neq; hæreticis, vel eorum nomine litigantibus, patrocinium præstare quis debeat, c. si adv. - de heret. Judicis deniq; sententia, illitterati coram iudicio non admittuntur, id quod non solum de iure Communi obtinet l. 1. §. 4. vers. advoc. ff. de extraord. cogn. sed & iure Saxoni. O. P. J. tit 3. §. ult. B. Carpz. p. 1. Const. 1. def. 15. n. 17. Hinc, qui Eruditionis suæ testimonia publica proferre nequeunt, à iudiciis repelluntur D. Carpz. n. 16 lib. 3. tit. 1. Resp. 3. & 4. in proc. tit. 5. art. 7. n. 4. ubi simul tradit differentiam, cur illite, ratus iudex esse possit, advocatus esse non possit. Quod ad ipsos quoq; procuratores iudiciales extenditur, ut nisi testimoniò aliquò Eruditionis suæ suffulti sint, in causa, ad quam Mandatum acceperunt, tunc nō sint admittēdi, sed ab ipso iudice reiiciendi, etiamsi illud ab adversariò oppositâ exceptione inhabilitatis

B

non

121

L. 21



non urgeatur P. Ord. de an. 1550. & de an. 1555. §. Wir ordnen ii. wole-
len. Hic quæritur, an Notariatus sufficiat in vim ei9 modi testimo-
nii? Hoc nostris moribus negandum, ob placitum Curie nostræ
Lipsiensis nuperrimum, quo hæc opinio fuit comprobata, ut sine
alio Eruditionis testimoniô Notarii à tali munere excludi de-
beant. Sunt & alii quoq̃, qui iudicis sententiâ advocati esse pro-
hibentur, sc. ii, qui moniti à Iudice litigantibus sine iusta causa
patrocinium denegârunt, qui crimine quopiam se contaminâ-
runt, qui nimia convitia in positionibus contra iudicem evo-
munt, cui9 personam reveri debêt. Hicq̃ l. ad tempus saltem, l. in
perpetuum quandoq̃ hoc munere fungi prohibentur, l. 9. in pr.
ff. de pœnis. Huiusmodi tamē prohibitio nō ad aliud forum, nedū
ad successores extendi potest, l. 6. in §. i. d. t. nisi sit indefinitè fa-
cta, sicut nec propterea consiliis aut scriptis extra iudicium par-
tibus litigantibus inservire quis prohibetur, uti monet B. Habn.
ad Ves. diff. 6. n. 5. Schnob. ad lib. 3. ff. tit. 1. th. 6. dissentit. Ummius lib. 2.
th. 5. n. 26. quia aliàs fraus fieret interdictioni iudicis, utpote qui
videtur voluisse omni modô per eam tales advocatos à causis in
suo iudicio tractandis remotos, quæ suo locô nunc relinquo.

THESES. IV.

Advocatorum nobile, (α) laudabile, (β)
honorabile, (γ) vitæque hominum maximè est
necessarium officium.

Nobilissimi enim vocantur in l. 7. C. de postul. & passim in in-
re nostrô, in quô insuper & ipsis nobilitas generis conceditur,
Tiraquel. de nobilitate cap. 26. n. 11. & 12. imò eorum dignitas suc-
cessivè ascendens tanta esse cœpit, ut sepè Comitibus & Con-
sulibus urbis præpositi fuerint. Urstis. in Epitom. Hist. Basl. c. 17.

[β] l. 4. C. de Adv. div. jud.

[γ] Item Clarissimorū nomē subeunt l. 4. C. de adv. div. jud. &
clarissima Eloquentiæ lumina vocantur, l. 6. C. d. t.

[δ] Negarunt hoc inter alios Tacitus & Columella aucto-
re Justô Lipsio lib. 2. cap. 1. probare studentes, priscis temporibus
illud officium & vocabulum planè in cognitū fuisse. Unde Ferdi-
nând9 noluit Advocatos mittere in Indias, ut Bodinus lib. 5. de Repub.
cap. 1. testatur, quod ipsa provincia benè carere possit talibus
ho

hominibus, à quibus litium quasi semina per totum mundum
 sparguntur. Quò facit *Const. Frid. III. Imperatoris in Reformatione
 Imperii de an. 1441. art. 5.* qua severè sancitum est, ut nemini Ad-
 vocatorù amplius liceat in toto Imperio corà iudiciò experiri.
 Addatur malæ notæ scriptor *Hypol. à Lapide in pref. tract. de ra-
 tione statùs.* Sed præterquam, quod *Rephan. Nathen. t. 2. cap. 7. in l.
 C. cap. 1. n. 59. in f.* satis superq; non tantum *Const. Frid. III.* nimis
 rigidam, sed etiam *Columelli & Taciti* suffragium non satis ex-
 asciatum esse demòstrat, illud quoq; dici potest, à citatis Au-
 ctoribus ac Constitutionibus tantum huius rei abusum taxari,
 easq; pertinere ad Rabulas, vultures togatos, foriq; tintinabu-
 la, quorum tum temporis imensa copia, non v. ad eos, per quos
 lites dirimuntur, amicitia inter omnes homines conservatur, li-
 tigaturis succurritur, quorùq; scientia totus illuminatur mundus,
 & ad obediendum DEO, ac Magistratui vita subjectorum infor-
 matur *auth. habita C. ne fil. pro pat.* Hi enim sunt, qui gloriosæ vo-
 cis suæ confisi munimine, laborantium spem, vitam, & posteros
 defendunt, qui ambigua causarum fata dirimunt, suæq; defen-
 sionis viribus in rebus sæpè publicis & privatis lapsa erigunt, fa-
 tigata reparant, qui non minus provident humano generi, quàm
 si præliis atq; vulneribus patriam parentesq; servarent *l. 14 C. de
 ad. div. jud.* Non possum hic me continere, quin verba *B. Luthe-
 ri Theologorum Luminis, & veræ religionis Restauratoris* in ali-
 quâ adhortatione ad Scholares perscripta, apprimè hæc illu-
 strantia adscribam: **Die Juristen und Advocaten in diesen
 weltlichen Reiche sind solche Personen/so das Recht/ und
 dadurch das weltliche Recht erhalten/und gleichwie ein
 frommer Theologus und rechtschaffener Prediger in Chris-
 sti Reich/ Gottes Engel/ ein Heyland/und Prophet/
 Priester und Lehrer ist/ also möchte man einen frommen
 Juristen in weltlichen Reiche des Keyzers Prophet/Eng-
 gel und Heyland heissen. Hinwiederumb/wie ein Ketzer o-
 der falscher Prediger im Reich Christi ein Teuffel/ Dieb/
 Mörder und Låsterer ist/ also ist ein falscher untreuer Jus-
 rist ins Keyzers Haus oder Reich ein Dieb/ Schalck und**

B ij

Bij

Böfewicht/und des ganzen Reichs Teuffel. Utinam sui officii memores advocati, omnia litigia ad DEum dirigerent, & ad vitæ perfectioris genus, salutem Clientum, ac Reipub. decus tenderent, verba sunt *B. Carpz. p. I. C. I. d. 18. n. 4. & seq.*

THESIS V.

Atque hinc non immeritò Advocatis sunt certa indulta Privilegia, quibus ob indefessum studiorum laborem præ aliis gaudent.

Advocatos iisdem gaudere privilegiis, quæ Frid. I. cognomento Barbarossa, Rom. Imp. in *auth. hab. C. ne filius pro patre*, in genere omnibus Scholaribus gratiosè concessit, est extra dubium; siquidem Scholarium nomine non solum ipsi studiosi veniunt, verùm etiã Professores, Advocati, & reliqui Doctores, quod latius exponit *Christian. Libenth. in disp. d. privileg. stud. 8. 2.* Nos in præsentì tamè eorum præcipua attingemus. Sunt verò sequentia (1) Advocatis competit Beneficium competentiae, ita ut non amplius teneantur, quàm facere possunt, & quoad hoc militibus armatis ac Nobilibus æquiparantur. *Prunnem. de bonorum poss. quest. 3. pr. n. 20.* (2) Similiter ad exemplum armatorum militum ad nullum alium judicem trahendi sunt, nisi ad judicem illius loci, in quò juridicinam faciunt *l. pen. in f. C. de adv. divers. jud.* quod tamen aliter obtinet in Academiis, ubi ut reliqui Scholares coram Magistratu Academicò sc. Rectore, conveniuntur. *Dn. Bechm. c. 10. n. 2. Dn. Svervius peric. 2. n. 4. & peric. 6. n. 1.* (3) Quoddam eorùm privilegium quoq; in hoc consistit, ut filii familiaris acq̄sitis ab Advocatis à iure quasi Castrensium peculii fruantur *l. 4. l. 7. ff. de off. adfess.* (4) Ut unà cum uxoribus suis ab omnibus muneribus personalibus sint exempti, *Jacob. Menoch. de arbitr. jud. quest. lib. 2. c. 379. Peretz. in C. ad tit. de post. n. 4.* Hinc sunt immunes à Custodiis portarum vel urbis, ab excubiis etc. *Baldy ad l. 6. C. de postul. nisi proprias domos possideant.* Præterea nec ullo collectarum onere gravandi sunt, *l. sancimus C. de adv. div. jud.* Hæc n. omnia potestati consulendi, arbitrandi & iudicandi sunt contraria. In Elect. Brandenb. tamen nuper per Rescriptum cōtra-

trarium receptum fuit, cuius vigore Dd. licet nec propria domicilia possideant, ad sublevanda civium oppidanorum onera pro vinô, frumentô, & cerevisia etiam certum vectigal exsolvere tenentur (5) Post depositum advocacionis munus clarissimatus dignitatem impetrant l. i. C. d. adv. 2. (6) In propriis causis litigantes nullas sportulas solvunt l. 7. §. ult. C. h. t. (7) Ad eorum privilegia non immeritò refertur & illud, quod illorum absentia iustâ præbeat dilationis materiã, atq; excusationem in negotiis sc. pendentibus. *Ves. in π. C. de adv. div. jud. n. 4.* Unde reum à contumacia purgât, præsertim iis in locis, ubi non habetur magna Advocatorum frequentia. *Zang. de except. c. 9. n. 13.* Patitur tamê illud certas suas exceptiones, quas *Decig* enarrat *ad l. cred. de repud. bon. poss. puta* (1) Si absentia per modicû tempus tantû sit duratura [2] Si Cliens habeat Advocos alios, hõc n. casu propter unius absentiam dilatio dari non debet (3) Neq; hoc procedit in causis summaris, in quibus nulla datur dilatio propter absentiam advocati. Mellius tamen esset, si iudices planè nullam dilationem partibus propter Advocati absentiam concederent, sicuti in *Ord. Cam. Brand. Neomarch. c. 16. statutum est, vid. de hoc Excell. Brunn. in proc. Civ. c. 1. n. 65.* (8) Propter salariû ipsis certum competit privilegium: Nam salariû annuû ipsis promissum, licet intra annum moriantur, totum nihilominus ad hæredes transit. *Excell. Dn. Struv. in Syntag. J. C. Exer. 17. th. 11.* (9) Si per eos non stetit, quò minus causam in iudicio agant, semel acceptum salariû restituere non coguntur, l. qui oper. 41. ff. locati. Non autem solum Advocatis hæc privilegia iadulta sunt, sed & certa in illorum violatores pœna constituta, quæ est quinquaginta liberarum auri, uti patet ex l. 6. C. de adv. divers. jud. Cœterum eò usq; privilegia ipsorum non extenduntur, ut l. excusare se posse sint ab onere tutelæ, in quò inferioris conditionis sunt Grammaticis, Rhetoribus, Medicis & reliquis Professoribus l. gaudeant privilegiis testamenti militaris. *Schneid. in Comm. ad Instit. ad lib. 2. tit. 11. §. 12.* vel ratione salariorum in concursu creditorum reliquis creditoribus præferantur. de quo *vid. B. Carpz. in P. C. 28.*

B 3

def.

def. 30. vel eorum salaria non possint detineri arresto, D. Carpz. in P. tit. 21. art. 2. n. 31. vel ut possint ea petere in propria causa ab adversario, Berlich, part. 1. Conc. 1. n. 51. nisi forte per modum interesse, Idem Berlich, p. 1. Conc. 28. n. 52. quamquam n. privilegia- ti sint, non tamen ipsorum privilegia exorbitantia esse oportuit.

THESIS VI.

Advocatis, in quibus pietas, probitas, prudentia, modestia, & juris scientia requiritur, omnisq; arrogantia & avaritia abesse debet, varia in jure nostrò præscripta sunt officia, secundum quæ ipsos agere oportet, nisi velint sentire poenam aut arbitrariam, aut certam quodammodò in legibus definitam.

De Officiis Advocatorum in genere paulò ante *th. 4. lit. n* diximus. Nunc nonnulla specialiora, quæ ibi prætermissa sunt, peculiari hæc thesi breviter attingemus. Ante omnia itaq; primò admoneant Advocati suos Clientes, ne ipsos decipiant in narratione facti, siquidè litigantes seipsum decipiunt, cū ex minimâ circumstantia facti sæpissimè jus variari soleat; Ex quo (2) & illud fluit, ut non nisi justas causas suscipere ac defendere debeant. *L. non nova §. 2. C. de J. [3]* ad illicitas causas cliētes minimè incitent, aut verba dare pro Justitia sustineant, sed si ex narratione facti à cliētib; compererint, nullam in ea causâ sperari posse victoriâ, sed idò eos adhortari debēt, ut ab eiꝰmodi lite se abstineant, per *l. univ. & ibi per Bart. in pr. C. de decur.* Unde meritò magnis evahitur laudibus Galliac & Mediola. Dux, justitiæ amātissimus, cuiꝰ *Justus Lipsius in suis monitis & exemplis* gloriosè meminit, qui Advocatum falsissimam causam contra pauperem pastorem ovium defendētem, laqueis publicè necari jusfisse dicitur. Quænam verò causæ malæ esse intelligātur, docet *Ummius disp. 2. th. 8. n. 42.* Planè Advocati, si aliquam causam susceperunt, quam postea in certamine malam esse deprehendunt, ab eâ abstinere, eamq; re-
lin-

linquere debent, etiam si juramento promississent, se ad finem litis operam prestituros, uti monet *Excell. Dn. Struv. in S. J. C. Exer. 7-th. 5. per tex. elegantē in l. 23. §. 2. C. de jud. Ac propterea in l. 2. in pr. C. de jure jur. propter calumniā advocati utriusq; partis necessariō jurare debēt de calumnia, quod juramētū olim in qualibet lite ab Advocatis, hodiē v. in pr. suscepti officii O. C. P. I. tit. 62 & 64. præstādū. Quāquā ferē illud videatur in desuetudinē abiisse, licet optandum esset, ut saluberrimæ illę constitutiones ad coercendam Causiticorum malitiam denuō ad observantiam reducerentur (3) Postquam amicabile composicio, sed frustra inter litigantes tentata, de qua suprā *th. 2. lit. n.* dictum fuit, tunc à Magistratu superiori Commissarios petant, qui inter partes litigantes denuō concordiam promovere laborēt. Si & hōc modō res expediri nequeat, liti abbreviandæ studeant, viamq; compromissi amplectantur. *Fib. in proc. p. I cap. 2. memb. 3. §. 1. num 4. usq; ad 6.* (4) In peragendis causis sint studiosi brevitatē vid. *supr. th. 2. lit. n.* non verbosi, ad quod n. profunt illæ rana-rum quasi elamose allegationes, & Canina illa facundia inquit *Jsid. lib. 3. de summo bono*, nisi quod vocibus improbis & importunis clamoribus in certaminibus causarum, omisis iis, quæ agi debent, veluti canes, tam iudicem quā adversarium lacerēt. Huc pertinet illud *Cassiodori*, Advocatorum silentium venale, ac linguam damnificam esse, nec prius desinere, nisi funibus argenteis ligetur. Unde in statutis Prutenicis laudabiliter certa quantitas chartæ Advocatis concessa legitur, ne operosis deductionibus iuris & allegationibus superfluis iudici nauseam creent, *vid. Exc. Brunnem. in P. c. 1. n. 61.* (5) Ne in iudicem aut adversarium cavillando, convitiando, obiurgando & maledicendo procacius insurgāt. *L. 6. §. 1. C. de postul. sed in loquendo & scribendo moderatē se & modestē gerant O. P. J. tit. 3. in verb. Allerstachlichten und anzieglichen Wörter.* Ex hoc enim sæpē Clientibus multa mala oriuntur (6) De quotā litis minimē paciscantur, id est ut ipsi accipiant rem, vel totam, de qua litigatur, vel tantum illius partem pro patrocinio, *L. si quis, & L. quis-**

quisquis 6. C. de postul. Unde in Camera Advocati hoc pactum
abiurare tenentur. O. C. p. 1. t. 63. Tale enim pactum arguit Ad-
vocatorum avaritiam. Non a. ipsis de certo aliquo salariò etiam
ultra suum stipendium ordinarium in eventum victoriæ pacisci
prohibitum est, quod pactum de palmario dicitur, arg. l. uni. C.
de suff. l. 1. §. 12 ff. de variis & extraord. cogn. l. etiam de certa re.
dandâ, quæ in lite non est per d. l. (7) Caveant sedulò, ne in causâ
Clientis sui audeant aliquod testimonium dicere p. l. fin. ff. de test.
can. si test. §. quos accus. quest 3 ne in causa quidem appellationis
& secunda instantiâ, c. fin. de test in 6to. Præsumitur enim Advoca-
tus nimiam habere affectionem ad ipsam causam, & qui ex cau-
sa aliquâ interesse aliquod vel commodum sperat, meritò reii-
ciendus, non aliter, ac si causa ipsius esset propria. *VVorms. lib. 1.
pract. 4. observ. 1.* Hic vulgò quæritur, an Advocatus ad testimo-
nium contra Clientem suum ferendum cogi possit? Rsp. quod
non, nisi veritas aliter haberi nequeat. Alii distinguunt, an sci-
entiam causæ ante advocationis officium, vel post illud aliunde
an v. ab ipso Clientulo revelatam ac communicatam accepe-
rit: Priori modò adfirm. posteriori autem negativè ad quæstio-
nem respondet *Berlich dec. 101. n. 1.* (8) Semel susceptam litem
deserere non debent, sed ad finem perducere l. 13. §. 9. C. de judi-
ciis, unde in *Cam. Imp.* iurare iuventur, se quoad definitionem cau-
sæ in eâ perseverare velle O. C. p. 1. tit. 62. & 63 nisi in ipso certa-
mine compererint causam esse iniustam *VVes. indiv. iud. C. de Adv.
n. 4.* (9) Subditos contra Magistratum suum non concitent, vel
ei resistentes iniuste defendant. O. P. J. tit. 3. vers. *Die
Untertanen wieder ihre Obrigkeit.* Aliud verò
dicendum est, si subditi iustam litigandi causam ha-
beant, & Advocatorum patrocinium implorent, *Bald. in l. quo-
niam jud. 21. C. de appell. n. 2.* (10) Nomen suum semper iis, quæ
Judici offerunt, subscribant & annotent O. C. p. 3. tit. 40. *Carpz.
in P. tit. 1. art. 4. n. 65.* quod etiâ in Pomerania aliisq; locis certis
Constitutionibus. introductum vid. *Brunnem. in proc. cap. 1. n. 63.*
& deniq; (11) pro labore suo ne exigant honorarium ultra
licitam quantitatem, de quâ plenius agetur in *th. 11. & ult.
plura vid. ap. Habn. in π VVes. n. 6.*

THE

THESIS VII.

Advocati ad suscipiendum patrocinium à Magistratu, cui subjecti sunt, ex certis causis, si sc. litigantes l. sunt pauperes, l. alius facile haberi non possit, etiam inviti possunt cogi.

Quamvis Advocatorum officium arbitrarium esse dicitur s. *mand.* 11 *Instit. de mand.* potest tamen quandoq; fieri necessarium p. l. 1. §. 4. ff. *de postul.* ratio est in promptu (1) quod eorum munus sit inservire litigantibus (2) eorum munus censeatur esse publicum vid. l. 1. in *verbo postulare* ff. *de R. J.* ad publica autem munera suscipienda etiam inviti cogi possunt l. ff. *de muner.* cuiusmodi a. officium publicum hoc sit vid. *apud Bach. ad VVes. ad C. de Adv. n. 1.* Cogi autem possunt ab eò Magistratu, cui subiecti sunt, ac ubi patrocinium litigantibus præstant. Simili modò Notarius seu persona publica, cogitur conficere instrumētum *Dec. ad l. 6. C. de adv. div. jud.* Medicus sanare, testis testimonium dicere, tutor & curator tutelam vel curatelam suscipere l. 1. in *pr. de adm. tutel.* Dantur tamen quoq; ab hac regulâ exceptiones, v. g. (1) Si Advocati intersit causam agi, (2) si causa sit iniusta, [3] si capitales inimicitiz inter Advocatum & Clientem ortæ sunt l. 8. ff. *de proc.* (4) si reipub. causâ Advocatus sit abfuturus (5) si agēdum sit contra patriam, l. *pen. in f. ff. de Postul* [6] si valetudo adversa aut necessariū iter allegari possit, l. 9. *de proc.* [7] si hæreditas superveniēs tempore Advocato vacuū non concedat, l. 10. *d. t.* (8) si alios clientes iam habeat, ipsisq; periculosum sit causas suas Advocato multis aliis causis implicato, committere vid. *Excell. Brunnem. in P. C. cap. I. §. 65.* ob has inquam causas, quilibet Advocati munus declinare potest, destituti v. una ex his allegatis excusationibus omninò cogi possunt, si sint ordinarii, si sint supernumerarii *Hahn. ad VVes. diss. 6. n. 3.* modò Judicij ratione iurisdictionis, sint subiecti uti supra à nobis dictum est.

C

THE-

THESIS VIII.

Differunt autem Advocati à curatoribus bonorum (α) Dominis litis (β) accusatore (γ) Rabulis (δ) negotiorum gestore [ε] defensore (ζ) & denique à procuratore (η)

(α) Et quidē inter alia ratione solarii: Advocati in concursu creditorū præ aliis creditoribus nulla prærogativa gaudent, *uti in th. s.* à nobis dictum fuit curatori bonorum autem propter illud prærogativa aliqua conceditur.

(β) Hi enim pro se in iudicio postulāt, Advocati verò pro alijs, unde nec sententiam in Advocatum, sed in ipsum litis Dominum ferri usus comprobatur.

[γ] *L. 14. §. 8. ff. de bonis libert.*

(δ) Qui & alio nomine indocti procuratores vocantur. Hi enim iuris normam ineptis interpretationibus ad suas opiniones solent flectere. Et sicut veri Advocati vitæ & posterorū defensores sunt *l. 14. C. de adv. div. jud.* ita hi pauperum sunt excoriatores, canes curiarum, & devoratores Civium, *Bart. in l. omnes populi in 5. quest. pr. de 7. & 7.*

(ε) Hic enim alterius negotium gerit extra iudicium, Advocatus verò alterius causam in iudicio perorat *l. 1. §. 2. ff. de postul. his absentis & ignorantis*, Advocatus verò præsentis & scientis negotia gerit, quia à partibus rogatus & vocatus iudicium accedit.

(ζ) Uterq; quidē sine mādato agit, *arg. l. 40. ff. §. 5. sed & is de procur. defensor autem non rogatus & ultrò alterius defensionem suscipit* *Mnsing. ad §. f. inst. de his per quos ag. poss.* Advocatus nō tantū à partibus rogatus, verum etiam invitus atq; à Magistratu coactus *l. 1. §. 2. de postul.* (2) Advocatus tam actoris quam rei patrocinium suscipit, defensor autem reum tam in iudicio defendere dicitur *l. 11. §. 7. ff. de except. rei jud.* (3) Defensor sine præ-

præstita cautione de iudicato solvendo non admittitur, Advocatus verò satisfacere non debet, modò iuramentum calumniæ præstet, quod sc. Clientis causam boni viri arbitrato in iudicio defendere velit.

(1) Differentiæ in sequentibus præcipuè consistunt, (1) procurator ut Dominus litis administrat, Advocatus verò orat & supplicat. Unde vulgatum illud; Advocatus est os procuratori, procurator vero cor & animus Advocati (2) procurator mandato indiget, *l. 1. de procur.* secus est in Advocato, (4) non ut in Advocato, ita & procuratore iuris peritia opus est *L. 11. §. 1. C. de adv. div. iud.* (5) Advocati officium publicum & cum honore coniunctum est, procuratoris ex adverso privatum & vile. Hinc Jure Civili etiam infamis procurator esse poterat, quod tamen Jure Canonico & nostris moribus est abrogatum. (6) procurator cum adversario colludens tenetur actione mandati *l. si procur. 19. C. de proc.* Advocatus verò sic delinquens tenetur de prævaricatione *l. 1. C. de adv. div. iud. Gilb. in arb. iudic. c. 5. ramiss. §. 38.* (7) litigator pœnitens potest alium Advocatum eligere *L. pro paran. §. pen. C. de adv. div. iud.* quamvis Advocato minimè liceat susceptæ liti intempestivè renunciare *l. 13. §. 9. l. de iud.* in procuratore autem mandatum post litis contestationem facilè revocari nequit *l. post. litem 7. C. de proc.* (8) Advocati semper idem nomen retinent, procurator verò non item, modò enim iudicialis, modò extra iudicialis dicitur, *l. 33. l. 43. ff. de proc.* (9) Denique Advocati in omnibus causis Civilibus & criminalibus admittuntur; Procuratores autem non nisi in causis civilibus *l. f. §. 1. ff. de publ. iud. l. ult. C. de iniur.* idè propter periculum subscriptionis *l. ult. C. de accus.* quod tamen hodie post *ordin. crim.* aliter obtinet, ibi enim indistinctè accusator in causis criminalibus procuratore uti pr. *B. Carpz. in P. Crim. p. 3. quest. 105.* Alias differentias vide passim apud citatos auctores imprimis apud *B. Carpz. in P. art. 7. n. 19.*

THESIS IX.

Ne autem prout velint, temerè in causis peragendis Advocati procedant, lites suas ultra præscriptum modum protrahant, litigaturos

C 2

at

attrahant, retrahant transacturos, & suis privilegiis abutantur, certæ ipsis in legibus præscriptæ poenæ sunt, quibus malitia eorum sæveri⁹ coërcetur.

Non enim ea solum facienda sunt, quæ licita, sed & quæ honesta atq; decentia habentur, iuxta *Decium in l. nemo potest n. 2. de R. I.* Poenas autem Advocatorum in iure præscriptas ad duo capita non incommodè referre possumus, nonnullas enim ob placitum iuris Civilis incurrunt, nonnullas verò propter Constitutionem Saxon & (1) quidem iure Civili, Advocatus adversario secreta sui Clientis pandens, aut cum eò colludens, incidit in crimen prævaricationis, *l. 1. ff. in f. de calum. l. 3. §. 2. ff. de prævar. P. H. O. art. 115.* item in crimen falsi *arg. l. si quis aliqua §. instrum. ff. de poenis* potest quoq; conveniri de perjurio, notatur infamiâ, & repellitur à munere advocandi, *l. 5. ff. de prævar.* Apud nos quandoq; punitur carcere, & relegatione, *Excell. Dn. Richter decis. 85* vel præter damni restitutionem mulctatur poenâ pecuniaria arbitraria *Jac. Menoch. de arbitr. iud. quest. lib. 2. Cent. 4. cas. 323. n. 3.* quæ iure Saxon. est aliquarum sexagenarum novarum *B. Carpz. in proc. tit. 5. art. 7. n. 18.* (2) Simile huic crimini est, si Advocatus, cum Clientem suscepisset, cognitio eius Instrumentis, atq; causæ secretis, eidem renūciat, & in castra adversarii trāseat *l. 8. C. de extra. crim.* incidit enim hic in legem Corneliam de falsis, sicut ei⁹ legis aliquo capite cavetur. [3] Eiusdem criminis reus habetur is, qui utriq; parti in una instantia patrocinatur seu adversæ parti consilium aliquod præbet *l. 1. ff. de præv.* (4) Advocatus de quota litis pactus cum ignominia notâ ab officio removetur *l. 5. C. de post.* (5) qui hæreticis vel eorum nomine litigantibus patrocinium præstat, ab officio suspenditur, & perpetua notatur infamiâ *cap. si adv. II. X. de hæret.* (6) Qui nimia convicia evomit contra iudicem, aut adversam partem arbitrariâ poenâ coërceri solet, *Dd. in §. atrox Inst. de iniur* Præcipuè autem vel ad tempus, vel in perpetuum removetur ab officio *l. 9. in pr. ff. de præv.* (7) Si quis prohibitus propter contumaciam aut convicia edita, vel ad
tem-

tempus, vel ad perpetuū Advocati munere fungi nihilominus
 audeat ad forū accedere, arbitrio iudicis mulctatur *Wes. in π. ad
 lib. 3. ff. n. 7.* [8] Advocatorum negligentia quoque arbitrariè, &
 quandoque planè remotione ab officio coercetur *l. 5. & 6. C. de po-
 stul.* [9] Pariter Advocati lites protrahentes arbitrario iudicis
 coercentur *l. proper. s. illo C. de iud. (10.)* Qui monitus à Iudice
 patrocinium alicui parti certis ex causis patronum invenire nō
 valenti, denegaverit, non solum pœnam incurrit pecuniariam
Myns. Cent. 4. observ. 31. sed & forō carere debet *l. 7. C. de
 postul.* quandoque prius privatur officio *Gail. lib. 1. observ. 43. n.
 1. & 2.* (11) qui partes ad negandum instruit, interdum ab ordine
 removetur *l. 9 ff. de pan.* aut si ipse contra acta aliquid negat, pœ-
 nam incurrit arbitrariam, quia incidit in crimen falsi, cuius
 pœna est arbitraria *Schneid. in § item Lex Cor. de fals. n. 10. inst de
 publiud.* [12] Advocatorum quoque prolixitatis & verboritatis
 pœna est arbitraria, & quandoque imponitur ipsis silentiū, *Glossa in
 l. ex ea ff. de postul.* In iure Saxonico prolixitas in allegationibus
 & positionibus pœna pecuniaria expiatur. *Appellation. Ord. de ão.
 1605 Rubr. wegen des Versehens in fine,* quæ olim & nunc est quin-
 que thalerorum. Ideo autem pœnæ arbitrariæ his casibus locum
 obtinēt, quia neque lege, neque statuto, neque aliquâ cōsuetudine pœ-
 na certa est definita (13) Qui subditos contra Magistratum ad
 suscipiendas lites hortantur, & illis assistunt iura Civitatis amit-
 tunt, *Bald. in l. quoniam 2. C. de appellat. n. 2.* (14) Corruptas leges
 allegantes pœnâ falsi incurrūt, *s. hunc igitur Cōst. de Justiniano Codice
 confirmando.* (15) dolo & fraudibus utentes pœnam arbitrariam
 incurrunt. *O. P. 7. tit. 7.* (16) Qui nomina Clientum in frontispi-
 cio primæ positionis exprimere negligunt, pœnam incurrunt
 quinque thalerorum *O. P. 7. tit. 7. in pr.* quæ pœna in peculiari *Edicto
 de ão. 1605.* reiterata habetur. (17) Advocati qui simul procu-
 ratores sunt si in Iudicio sine mandato comparent, aut nō statim
 in prima positione illud producant, incurrūt pœnam triplicem
 (1) Eorum proposita in iudicando non attenduntur *O. P. 7. tit. 7.
 in pr. 2.* si nptus adversæ parti refundere debēt *d. Ord. P. 7. tit. 7.
 s. wenn auch einer mehr/ &* (3) peculiari mulcta coercentur, nam
 primâ vice quinque, secunda decem thaleris, & sic deinceps pu-

C 3

niri

L. 21

niri solent [18] Denique sine exhibitō eruditionis testimonio in
iudicio pro aliis postulantes pœnam incurrunt arbitrariam O. P.
J. tit. 3. §. ult.

THESIS X.

Error Advocatorum Clientibus nocet.

Cum enim hæc, quæ ab Advocato in iudicio dicuntur, aut in ipsa lite fiunt, perinde habeantur, atq̃ si ea litigator ipse dixisset, fecissetq̃ l. 1. C. de erroribus Advoc. V. in π. ad hunc tit. sanè & ea litigantibus nocebunt, quæ falsò ab Advocato in ipsa lite fiunt, aut ex errore aliquo ab ipso in iudicio dicuntur. Quid error sit, & quotuplex, quomodo ab ignorantia distet, docet Tit. ff. de jur. & fact. ignor. Hic præcipuè notandum est [1] Errorem admitti debere præsentibus Clientibus, aliàs veritati præiudicium adferre non potest cum causa 62 X. cap. de adpel. (2) Si Clientes protestantur, se nolle Advocati sermonem l. errorem ratum habere, nõ magis nocet Harpr. ad Inst. de J. & J. n. 201 Nec (3) Si in continenti Clientis contra dixerit h. e. intra triduum proximum arg. l. §. C. de jud. l. postea adpellaverit. Alias a. ne quidẽ rescripto Principis retractatur §. ult. C. de error. adv. aliter v. dicendum est de errore concipientis libellum, hic n. non nocet l. 2. d. t. modò litigator palàm contradixerit, l. adpellaverit. Distinguendum autem hic omninò est inter errorem in iure & facto commissum: Hunc necessariò litigator corrigere & emendare; illum Judex non curare, sed corrigere & supplere debet l. uni. C. ut quæ def. adv. part. jud. suppl. Jura enim iudici sunt nota, ea v. quæ facti sunt, tanquam ut plurimũ ignota, ipse supplere nequit.

THESIS XI.

Advocationis effectus in mutuâ obligatione consistit, qua Advocatus Clienti & Clientis Advocato tenetur.

Advocatus si imperitia & negligentia suâ aliquid prætermisit, à Clienti suo conveniri potest, Decius ad l. hoc Edicto ff. quod quisq̃ juris n. 9 & tenetur ad interesse, h. e. restituere debet parti amissa. Quid verò si Advocatus solvendo non sit, & dãmnum negligentiam datum demonstrari possit? Tunc competit Clienti restitutio in integrum, modò quatriennium non sit effluxum

Myn.

Mynf. C. 2. obs. 2. ultralevem tamen culpam nil præstat arg. l. 14. C. de jud. Quid v. si Advocatus salariū acceperit antequam ipsi Clienti de damnō negligentia dato constet? Tunc etiam tenetur ad eius restitutionem. Quando a. dicitur, Advocatum Clienti obligatum esse ad damnum præstandū, expensas & interesse h. etiam intelligendum est, si Advocatus prævaricatus fuerit manifestando secreta parti adversæ aut colludendo cum ea Bart. ad l. si proca. C. de proc. coram quō iudice autem Advocatus à Cliente conveniri possit supra th. 7. dictum est.

Obligatio, qua Clienti Advocato obstrictus est, vincit eum ad præstandum iustum honorarium *l. 13. §. 9. C. de jud. Quod enim th. 7. dictum est Advocatos etiā invitos ad suscipiendum patrocinium à Magistratu cogi posse, non ita intelligendum est, quasi Clientibus suis gratis inservire cogantur; Minimè gentium, sed sumptibus petentis, i. e. pro iustō solariō, et si hoc ipsis à Clientibus denegetur, officio iudicis præstandum, est gloss. ad l. quoties 10. §. item si ff. de administ. & per. tuto. Officium enim suum nemini esse debet damnosum *l. 7. ff. quemad. testamēta adperiātur* & nemo tenetur gratis postulare, & patrocinium aliis præstare *Gail. lib. 1. obs. 151. n. 21.* Olim quidem *l. Cincia* pro oranda causa quidquā accipere prohibitum, fuit, postea tamen id immutatum, & primus Nero Imperator constituit, ut litigatores pro patrocinii mercedem darent, uti testatur *Sveton. in vita Neronis cap. 16.* Laudabiliter sanè, siquidem & artificibus & operariis mercedes debentur pro suis præstitis laboribus, ergò multò magis Advocatis, *Wes. in π. ad C. de adv. div. jud.* quippe quibus non solum propter præstitas operas, sed etiam propter scientiam mercedes debentur. Quod extenditur (1) ut ipsis competat solariū officio iudicis, etiam si de hoc specialiter non fuerit conventum, aut incertum quid, vel nihil planè promissum sit, *Bart. in l. 1. §. in hon ff. de variis & extraord. cogn. Debetur n. solariū ex nudo pacto, Decius ad l. cred. de pact. n. 3. & absq. conventionē, et si litigator Advocato ultra debitū stipendiū ratione victoriæ certā rem seu certū salariū promisit, competit Advocato ad hoc exequendum actio *l. un. C. ubi glossa de suffr.***

2. Si

Sive vincat, sive sine culpâ suâ vincatur *l. 10 §. 1. de negot. gest.*
Sufficit enim, si bonus Advocat9 & Orator nihil omittat eorum,
quæ ad causam pertinent, etiam si non vincat *arg. l. etiam quarta*
C. mand. vid. Schnob. ad ff. disput. 3. th. 5. Quod si tamē alium sub-
stituat, ipsi salarium rectè denegatur, quia Advocatus in propriâ
persona præstare debet patrocinium. Salarium v. hoc ultra cer-
tum modum aut licitam quâtitatem peti nequit *l. 1. §. 10. & 12. ff.*
de variis & extraord. cogn. Hodie ex consuetudine illud est æsti-
mandum *Bald. in rub. de off. jud. & quâ iras à partibus non deter-*
minata definienda est ab ipso iudice, pro modo litis, proq; Ad-
vocati facundiâ, navatâ opera, & fori consuetudine Fink. obs. 98.
n. 47. O. P. 7 t. 96. ¶ Idq; laudabiliter à Serenissimo
Electore constitutum esse videtur, ne à Clientibus iniusta sala-
ria extorqueantur. Quid autem dicendum est, si Clientes pauper-
tati addidi sunt & minimè præbere possunt salarium? Tunc Ad-
vocati gratis patrocinium præstare debent. *Bald. in l. si furios. C.*
de Nupt. quod etiam ad Notarios & Medicos extendit *Schneid. ad*
lib. 17. Inst. tit. 6 n. 9. & 10 Quod si Advocati id facere nolint, offi-
cio iudicis miserabilibus personis inservire coguntur. *Robertus*
Maranta in Ord. jud. p. 242 n. 192. O. C. part. 1. tit. 19. §. ult. Idq;
nō ex debito iustitiæ, sed charitatis. Unde quidam Theologi ad-
firmant, Advocatum patrocinium pauperibus detrectantem
mortaliter peccare, *Paulus Nüglein von Bürgerlichen Stande.*
Interdum tamen sumptus magistratus præbere debet *Wes in π.*
ad lib. 2. ff. tit. 1. Unde in benè constitutis Rebusp. certi habentur
Advocati pauperum, qui certo sibi solario ex publicis redditibus
constituto, gratis patrocinantur pauperibus, uti in Provinc. *Sa-*
xon Ord. Cur Lips. de ão. 1549. certi Advocati constituti sunt, qui
pauperum appellari solent, quiq; publico solario annuo aut ex
fisco, aut ex communi Eleemosynarum Ærario ad hoc condu-
cuntur, ne pauperes iustam litem foventes, reliquantur indefensi.
Si tamen vincit pauper, adversario in expensas condemnato,
sub quib9 etiâ Advocati solariū continetur, Advocato suo sum-
ptus refundere debet. *Gail. lib. 1. observ. 43.* Sed hæc tantū in cau-
sis Civilibus obtineant. In criminalibus non sumtus ab adversa-
rio

rio sunt extorquendi, cuius rogatu Reus est incarceratus *Const. Caro. Crim. art. 204.* Idem ex paritate rationis, ad sumptus quoque Advocatorum extendit *B. Hahn ad Wes. Dis. 6. n. 3.* Non autem omnis pauper indistincte statim est admittendus, sed probare tenetur ante paupertatem suam, si non aliter, tamen juramento *Carpz. P. I. C. 1. def. 25.* nec ad juramentum paupertatis admitti quisquam debet, qui pro paupere se venditat, priusquam fidem aliqualem fecit de paupertate, ac testimonium desuper à Magistratu suo datum in iudicio exhibuit, in paupertatem non omnino inquirendum est, antequam juramentum deferatur, qui enim iurare vult, debet (1) habere bonam causam (2) putatam quodammodo paupertatem (3.) quod eam sibi per propriam culpam non arcesserit, aliàs ab hoc paupertatis beneficio non immerito excluditur; Juramentum v. paupertatis in hoc consistit, daß der Jurans behauptet / daß er in seinem Vermögen nicht so viel habe / daß er einen Advocaten halten oder andere Gebühren tragen könne. *C. Statut. verbis insuper de rescript. in 616 B. Carpz. P. I. C. 1. def. 25.* Ubi simul præiudicium de eâ re adfert. In Curia Provinciali suprema iurare debet, daß sein Vermögen nicht über 70 fl. In inferiori Saxoniam v. daß sein Vermögen sich nicht über 20. fl. erstrecke. H. 1. circa Salarium adhuc (1) quaeritur quò tempore illud exigi possit? Rsp. lite pendente advocatus exigere aliquid non debet *l. quisquis. procur. C. de postul. ad exemplum operarii, cui solarium non ab initio debetur, sed in fine, præstita sc. operâ, non absurdum tamen est, dicere cum Wes. in π. ad C. de adv. div. jud. illum pro singulis actibus operæ præstitæ solarium petere posse, sicut Judex sumtus litis confer. B. Carpz. P. I. C. 1. def. 34. [2.] an solarium promissum Advocatis debeatur, si amicabiliter transigant partes? id affirmatur propter rationem in *l. 1. §. diu ff. de var. & extraord. cogn.* quod tamen extendi non debet ut si post mortem Advocati partes inter se amicabiliter transegerint, etiam Advocati heredes item petere possint, *Carpz. L. 3. tit. I. R. 1. n. 19.* (3) An Advocatus Clientem actione ad præbendum solarium convenire possit finita unâ instantiâ? Affirm. à Dd. quia nullus Advocatus, qui ad sententiam definitivam usque Clienti se adfu-*

D

tu


turum promisit, invitus cog^o potest, ut pro eod. pretio in Judi-
cio Appellationis etiam patrocinium ei sistet *l. pen. C. de jud. v. Ves.*
in π. ad C. de adv. div. jud. nisi aliter sit conventum, sc. bis die Ende
Urtheil gesprochen. vid. Citatus Dn. Carpz. (4.) Advocato ante
finiram causam mortuo, an heredes eius integrum petere sola-
rium possint? Decius de solarario in vita Advocati acquisita affir-
mat in *l. def. ff. de off. assess. n. 16*, alii distinguunt, & rectè quidem,
inter solarium annuum & honorarium, de illò nullù est dubium, u-
ti *ph. s.* dictum est, *Speculator de adv. tit. de solar. s. sequitur*, de hoc
a præcipue quæritur num illud integrum exsolvi debeat etiam
si per totum annum Advocatus operas nõ præstiterit? negarunt
quidam quia non prius debetur eiusmodi solarium, quin aliquid
laboris illò annò ceptum sit, alii v- contrarium tenent, si modò
per ipsum non stetit, quo minus operam præstaret, quod etiam
amplectitur *B. Carpz. lib 3 tit. 1. R. 2. n. 6.* (5) Ex hoc sequitur mul-
tò magis totius anni solarium Advocatis exsolvi debere, si pro-
cessus intra annum sit finitus, item *Carpz. P. 1. C. 1. Def. 34.* (6) Si
causa diversos articulos continet, in quorum uno obtinuit, in al-
tero succubuit, quæritur an tunc solidum solarium, an partem
tantù petere possit? addatur decisio *ex Speck cap. 2. quest. 42 p.*
892. Possent adhuc plures alias quæstiones in iure occurrentes
hoc loco attingere, sed ne iustò sim prolixior, hic colophonem
impono. De cætero, si in hoc primo iuris specimine Academico
minus in concinnè aliquid elaboratum attuli, inventuti
atque studiis maturitate suâ adhuc destitutis
ignoscendum erit.


Laus sit TRINUNO atque Gloria.

X2615907

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

~~XXXVI.~~
1669, 7
389

Salvatoris.
JURIDICAM.

CATO.

ssu Nobilissimi
rdinis.

DE
O
consultissimo
ISCO ROMANO.

. Celeberrimo,
ECEPTORE SUO
SSIMO.

M DISQVITIONE
IT
FENSOR
US SCHELERUS.

fin.
R. S. MDCLXIX,
COLLEGIO.

S.
E,
RELIANO.

*Jhn Excellenti J.C.D.
Johanneme Dörig*

L. 27

